

sumi in prima possit purificatio.

quenti fuerint consecrata: nam in hoc Sacramento magis & minus non variant excellentiam, ob contentum in illo, Christum scilicet. Pona- mus ad huius comprobationem Sacerdotem post sumptam abluitionem circa Communionem ministrandam occupari, vt contingere in magnis Iubilais potest, & interim Sacerdotes alios in eodem altari Missas facere, & vasa hostioli plena consecrare, quas & ipse ad Communicandum accedentibus largiatur. Finita certe Communione purificare omnia vasa poterit, & reliquias sumere non solum a se, sed ab aliis etiam in precedentibus Missis, ac etiam in sublequentibus consecratis: quia quoddam praelanctificata, aut post sanctificata sunt, omnino materialiter se habent, iuxta dicta Assertionem 3. & 4. Idem ergo in casu, de quo loquimur, dici potest. Quod si dicatur actionem sacrificij prioris omnino fuisse finitam, & sequentis sacrificij actionem minime ad illam pertinere, occurrere potest ex adductis num. 246. vt saltem probabiliter in hoc possit aliquis arbitrari: quia non est certum id, quod Doctores de sumptione particularum dicunt in eo fundari, quoddam eadem actio totalis & completa moraliter reputetur. Deinde. Particula sanguinis in Calice relicta nequeunt sine abluitione perfecte exhauriri, vt experientia constat: ex eo autem quod remaneant, sequitur primo non habere sacrificium omnimodam integritatem. Secundo irreuerentis exponi: Calix enim in alium populum sine cultu debito deportatur, quia vel feruari commode nequit, aut Calix alius non est, vnde & pro secunda Missa etiam adhibendus. Cum ergo Doctores ob irreuerentiam Sacramenti vitandam licitum censeant non ieiunos illud sumere, hic certe doctrina illa accommodanda venit opportune. Et ex hoc videtur occurrere posse notissimo Ecclesie precepto, quod in Missali Romano extat ante Missas Natalis Domini, vbi dicitur Sacerdotem, qui tres est dicturus Missas, in duabus prioribus non sumpturum purificationem. Ibi enim nullum est irreuerentiae periculum, sicut in casu, de quo loquimur: & propter hoc erit forsitan qui huiusmodi verosimilem censeat positionem; alia enim minoribus fundamentis probabilis solent ab aliquibus reputari.

In Missis Natalis Domini non eadem esse ratione.

Contrarium statuitur, & sit satis in contrarium adductis.

251 Sed ego non audeo probare illam, quia sensus Ecclesie pro contraria videtur manifestus. Et quod de Missis Natalis Domini nuper dictum, fortiter vrget: ibi enim ex integritate sacrificij argui nequit: & licet abluio ad illius complementum spectet, omnino sublata ab Ecclesia est. Iam ergo ex illis capitibus nihil, quod iuuat, potest afferri. Vide Cardinal. Lugo in Responsis Moral. Lib. 1. Dub. 10. num. 13. Quod autem ad rationem totalitatis in actione spectat, nihil etiam confert: nam qui dicunt eam non esse potissimum, adducunt aliam, scilicet voluntatem Ecclesie: quae quidem in casu praesenti non deprehenditur, neque vllum eius apparet indicium, sed potius opposita. Iam quod ad irreuerentiam attingit, vitari illa facile potest, si sacerdos ipse Calicem decenter exportet, neque Indo tradat cum sarcinis aliis sacris deportandum, vt nonnulli satis inconsiderate faciunt. Vt autem quiddam esse periculi circa hoc potest, penitus euitetur, duo sint Calices, aut plures pro populorum numero,

quod est sane facillimum, si in Parochis aliquis sit pietatis & Religionis igniculus, & Praelati circa hoc ea, quae debent, sollicitudine pergant provide- re. Licet autem in praefata Missali Rubrica non videtur esse praecceptum, quia simplicissimo modo proponitur: ex eo argumentum sumi nequit, quia cum res ipsa circa id versetur, quod est graui praeccepto prohibendum, communicare inquam non ieiunium, & circa purificationem in Cap. Ex parte, de Celebratione Missarum, quod est Innocentij III. omnino aperte decusum: satis superque fuit simplex adhibita declaratio, quae Sacerdotes obligationis suae, de qua forte dubitarent indocti aliqui, moneantur. Si enim non defuit, qui sumptione panis benedicti non solui naturale ieiunium ad Communionem necessarium, sibi perualum haberet, an non tale aliquid circa praesentem articulum potuit prouidentia Ecclesiae suspicari? Vnde etiam Rubrica talis non extaret, praecceptum vrgeret ex generali Ecclesiae lege, iuxta traditionem Apostolicam in diuersis Concilijs stabilita. Pro quo videri potest P. Suarez Dissut. 68. citat. Sectione 3. & ita praecceptum circa Missas Natalis Domini, prout ibidem praescribitur, sub mortali obligans communis assensio Doctorem agnoscat. Quamuis Bassaeus verb. Communitio, numer. 21. ita scribat: Sacerdotes in die Natiuitatis Domini possunt ter communicare celebrando, modo abluitionem digitorum in prima & secunda Missa non sumant. Sic ille. Iuxta quem abluio prior, seu purificatio Calicis, non videtur celebrationem impedire. Sed hoc non vrget. Vnde eius non erit audacia toleranda, qui contrarium non fuerit veritus praticare. Iam ad alia.

Rubrica Missalis circa Missas Natalis Domini, quomodo obligationem sub mortali indicet.

Cap. Ex parte.

Bassaeus.

De Priuilegijs circa ornamentorum, linteorum, & sacrorum vasorum benedictionem.

252 Circa haec ita habetur in Compendio Indico Verb. Benedictio: Possunt ij, qui mittuntur a Praeposito Generali in loca remotissima, a quibus non potest adiri Sedes Apostolica, vestes sacerdotales, Pallis, Corporalia, Calices, Altaria, & Cameraria, (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit) in eis partibus benedicere. Sic ibi: & statim hoc ad omnes, qui in praedictis regionibus sunt, extendendum esse, dicitur concessione Gregorij XIII. Est autem priuilegium dictum Pauli III. vt in eius habetur Bulla pag. 43. Quomodo autem Prouincialibus, & alijs per eos vsus talis priuilegij concedatur, ibidem dicitur, & dictum etiam a nobis numer. 176. Fit autem citato loco remissio ad Compendium commune circa benedictionem Ecclesiarum, Oratoriorum, & Paramentorum: vbi de benedictione eorum, in qua vnctio interuenit, nihil extat: pro alijs autem illud habetur speciale, vt tam propria, quam aliena possint benedici. De Ecclesijs & Oratorijs dicemus inferius. Praeter concessiones autem in Compendijs citatas, aliae sunt, de quibus agunt Fr. Emmanuel Tomo 1. qq. regular. quaest. 19. Bassaeus verb. Altare. Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus citatis, Parte 2. verb. Benedicere. P. Pellizarius Tomo 2. Tractat. 8. Cap. 5. Sect. 3. P. Quintanad. Tomo 2. Tractat. 5. Singular. 12. Fr. Ioannes

Priuilegia Indico circa benedictiones, quibusdam adnotatis.

Ioannes de la Cruz in Epitome status Religiosi, Lib. 2. Cap. 5. Dubio 8. & plenius ceteris Alcanius Tamburinus de Iure Abbatum Tomo 1. Dissut. 23. quaest. 4. num. 3. & alij.

Aliud generale Innocentij 8. & vniuersalius.

253 In quibus tamen quod ad generalem concessionem attinet, vnam tantum inuenio Innocentij VIII. Abbati factam Cisterciensi Monasterij Cabilonenis, & eius successoribus, nec non quatuor alijs eiusdem Ordinis Abbatibus, in Bulla, quae incipit, Exposit tuae deuotionis, die 3. Aprilis, Ann. 1489. & est quinta huius Pontificis apud Fr. Emmanuelem, & ad omnes est Ordinis Abbates extensa a Gregorio XIV. vt testatur idem Fr. Emmanuel supra, Quaest. 28. Artic. 2. illa epim ad Calices & Altaria porrigitur verbis illis: & quaecumque alia vestimenta ac ornamenta Ecclesiastica, Corporalia, vasculisque ad reponendam Eucharistiam, ac imaginibus quibuslibet comprehensis, in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & Calices consecrare, tam de dicto Ordine, quam si ad vos aliunde nonnumquam deferantur. At Altaria de nouo constructa, seu transata restaurare, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro prius ab aliquo Catholico Antistite recepto, consecrare, &c. Vbi notanda limitatio, quod scilicet praedicta in domibus tantum praefati Ordinis fieri possunt; non ergo extra, dum scilicet quis itinerando vt id faciat ab aliquibus inuitatur. Dixi autem concessionem dictam magis esse generalem, quia omnia complectitur: alia enim est, quae Altarium portatiliu consecrationem indulget, non tamen Calicum & Patenarum, & est Pij IV. in ordine 97. Abbatibus Benedictinis, pro suis tamen Ecclesijs tantum, & ad eorum vsu. Ait autem P. Pellizarius supra num. 102. similem facultatem concessisse Minoribus Honorum secundum, vt in eorum habetur monumentis Concessione 212. & refertur in Compendio Societatis verb. Ecclesia, §. 1. Sed certe similis facultas non est: quia tamen per eam habetur, vt possint Minores facere benedicti altaria a quocumque Antistite, si Dioecelanus renue- rit; haec certe similis est ei, de qua ibi, a Paulo III. concessa Societati; alia enim de Consecratione ab eisdem Religiosis facienda, valde esset dissimilis. Neque in Compendio habetur Honorium secundum id concessisse, neque haberi potuit, quia Honorium secundum multo fuit antiquior Ordine Minorum. Honorius ergo tertius reponendus. Idem Auctor ibidem affirmat Adrianum VI. concessisse Prouincialibus Indiarum Ordinis Minorum, & Fratibus, quibus illi concesserint, facultatem consecrandi Aras & Calices, etiam pro vsu alieno in casu necessitatis, Episcopis in Prouincia non existentibus, pro quo Auctorem nullum, aut instrumentum allegat; sed neque allegare potest, quia concessio talis non est pro Altaribus, sed pro ornamentis, & alijs, quibus Calices addit, vt videri potest apud Emmanuelem supra, Artic. 3. & Quaest. 28. Artic. 2. Vbi quidem concessionem Leonis X. factam duobus Fratibus Minoribus ad Indias euntibus, de qua diximus num. 209. etiam producit: sed ex ea nihil ad intentum deduci potest, cum fuerit personalis, vt citato loco demonstratum. Vide tamen infra, num. 385.

Quae in illo limitatio.

Pro consecratione Ararum alius Dy 4.

Circa similem concessionem de repositum P. Pellizarii.

Sicut circa aliud pro Indijs Adriani 6.

Abbatibus concessum

254 Quod autem concessionem dictam ad Religiones omnes priuilegium communicationis

habentes extendi nequeant, ex Auctoribus citatis, & alijs nonnullis colligitur. Procedunt enim illae de Abbatibus vsu Pontificalium habentibus: quae autem talibus conceduntur, nequeunt ad Praelatos alios, qui Abbates non sunt, per communicationem extendi. Quod tenent Miranda Tomo 2. Quaest. 41. Artic. 4. Diana Parte 3. Tractat. 2. Resolut. 15. Celspedes de Exemptione. D. 158. numer. 1. P. Pellizarius supra, numer. 104. Hieronymus Garcia Tractat. 3. Diffinit. 8. Dub. 3. Puncto 1. num. 4. & alij, ante quos id luculentius prosecutus P. Suarez Tom. 4. de Religione, Tractat. 8. Lib. 2. Cap. 30. vbi probat Abbatibus Regularibus numquam in vsu fuisse Altarium & Calicum consecrationem, sicut & aliorum, pro quibus Chrisma debet adhiberi. De priuilegio autem dicto Innocentij VIII. loquens numer. 8. sic concludit: Non est ergo dubium quin possit Pontifex hunc actum committere Sacerdoti non Episcopo. Cur ergo non poterit etiam consuetudine praescribi, vel benedictioni Abbatis ipso iure coniungi? De facto verum certum est non ita factum esse: immo & de illo speciali priuilegio mihi incertum est an fuerit vsu receptum, & an nunc duret. Sic ille: cuius doctrina circa priuilegium simile ad conferendos Ordines minores, de qua Cap. 29. num. 28. huic loco accommodanda venit, quod quoties Iura loquuntur de inferioribus Praelatis, quibus haec potestas ordinandi communicata est, semper loquuntur de illis sub nomine Abbatis: quod est signum per eam vocem in Iure significari peculiarem dignitatem, quam non habent Praelati aliarum Religionum, qui hoc nomine non vocantur, & ideo in hac potestate non communicant: praesertim quia ex se & ex prima institutione postulabat haec potestas benedictionem ipsius Abbatis: & licet specialiter commissa sit postea Abbatibus non benedictis eorumdem Ordinum, id solum fuit quia eis quodammodo erat debita benedictio, ne omnino priuarentur eodem modo eius: Praelati vero aliarum Religionum per se nullam habent benedictionem, vnde diuersa circa illos est ratio, & ita non est locus communicationi.

non posse ad alios extendi, qui probent.

P. Suarez.

Eiusdem sum distinctio inter illos.

In Compendijs Societatis omnes concessiones, vbi non ad rem.

Argumentum aliud, ex peculiari quadam concessione.

255 Praeterea. Vt concessiones dictae circa consecrationem non habeant vim sufficientem, argumentum est non leue omnes illas in Compendijs Societatis omittas. In communi enim nihil circa illam habetur, & in Indico solius concessionis Pauli III. mentio extat eidem Societati facta: cum tamen exacta diligentia circa priuilegiorum explorationem adhibita fuerit a viris non vulgariter eruditiss. Cum etiam R. P. Generali Iacobo Laynio a Cardinali S. Angeli Summo Penitentiario concessa fuisset, vt Generalis per se, vel plures alios, quos nominaret, posset benedicere ornamenta, vestes sacras, & alia ad diuinum cultum necessaria; illa tamen excepit, quae ab Episcopis tantum benedici possunt, id est, citra Calices & Patenas, vt testatur ipse P. Generalis, & habetur in viua vocis Oracula pag. 19. vt videre etiam est in opusculo Cardinalis Lugo circa viua vocis Oracula pro Societate, verb. Benedicere. Haec ergo exceptio videtur arguere nullum circa hoc alius concessum priuilegium extare: si enim verum esset, non adeo stricta limitatio fieret, neque ita aperte significare-

P. Suarez singulararem in Societate concessione agnoscit.

Afferio 1. ea, in quibus vntio adhibetur, posse a Mendicantibus probabiliter consecrari.

In vna illa Abbatum duorum Religioni.

Nec tunc Societati concessa, contra P. Eugund.

Inde argumntum pro Afferio.

Mendicantium maiora ergo Ecclesiam merita.

tur consecrationem talem taliter ad Episcopos pertinere, vtriusque minime competere posse iudicari videatur. Pro quo & facit id quod prater nuper dicta habet P. Suarez Tomo 3. in 3. p. Diss. 81. sect. 5. s. Tertio additur, vbi sic ait: Papa recte potest hanc facultatem committere simplici Sacerdoti, ordinarie autem non facit: solum inuenit hoc esse concessum Presbyteris Societatis IESV pro locis remotissimis infidelium, in quibus Episcopi Catholici non adsumt, in Bulla Pauli III. An. 1549. Sic ille.

256 Dico primo. Probabile est Prælatos Religionum Mendicantium, & alios habentes priuilegium communicationis, posse Altaria fixa, Aras, Calices, Patenas, & alia, in quibus Christina adhibetur, consecrare. Probatur ex adductis priuilegijs, propter quæ ita sentiunt ex citatis Auctoibus Ioannes de la Cruz, P. Quintana, Emmanuel Rodericus, Fr. Ioannes Baptista, qui in speciali concessionem Innocentij VIII. omnino suffragari Religiosis communicationem habentibus arbitrantur. Quod & tenet P. Pellizarius Tractat. 10. Cap. 9. num. 38. ob priuilegiorum tenorem, quæ in speciali non recenset. Et vt id verosimilius fiat, manifestè ostendendum est priuilegium consecrationis, de quo loquimur, alijs non Episcopis concessum, & in vtu haberi.

Pro quo in primis facit Declaratio Cardinalium, quam ex Naldo adducit Diana Resolut. 15. citata: quæ quidem in iudicio contradictorio est impetrata, & post sententiam prohibentem ob allegationes Procuratorum, pro Abbatibus fauorabiliter pronuntiata. Deinde Tamburinus supra, pro concessione in ordine ad consecrationem Altarium varia priuilegia adducit, referetque Visitatores Pontifices, cum Romæ ad Auctoris eiusdem Conuentum accessissent, quod est Religionis Vallis vmbrosæ, & illis instillatum fuisse Abbatibus ipsius Altaria consecrare, quod à Congregatione Rituum non solum de portatilibus, sed etiam de fixis intelligendum declarauerat, id ratum habuisse. Additque ita haberi in Missalis regulis, quo dicta Religio vtitur, à Paulo V. approbato. Vnde non est vllatenus deferendum Patri Fagundez, qui circa primum Ecclesiæ Præceptum Lib. 3. Cap. 22. numer. 3. ita scribit, Consecratio per Aras, sicut & Calices & Patenas, ad solos Episcopos de iure spectat: potest tamen Summus Pontifex illam committere, ex priuilegio simplici Sacerdoti: numquam verò (quod sciam) adhuc illam Sacerdotibus simplicibus commisit nisi solis tantummodo Religiosis Societatis IESV, & non alijs, & his quidem solum pro remotissimis infidelium partibus, in quibus Episcopi Catholici non sunt. Sic ille.

257 Supposita ergo concessione huiusmodi respectu Abbatum, satis iam verosimile apparet communicationem Prælati Mendicantibus conuenire: nam illorum maiora merita erga Ecclesiam in causâ fuerunt, vt ipsis communicatio amplissima tribueretur omnium eorum priuilegiorum, quæ Monachalibus fuerant attributa, & in posterum erant tribuenda: sunt enim in acie contra inimicos Ecclesiæ, & sæculares Prælatos egregiè adiuuant in Pastorali cura, quod nõ ita faciunt Monachales, ad pedes Domini cum Mariâ sedentes, & sanctæ contemplationis dulcedinem ex fonte viuo per otium haurientes. Vnde in

Clement. 1. de Regularibus iis, qui ex Mendicantibus ad non Mendicantes transeunt, etiam auctoritate Apostolica, variæ inhabilitates imponuntur, de quibus ibi, & pro quibus videri potest P. Thomas Sanctius in Opere Morali, Lib. 6. Cap. 7. num. 109. & seqq. Sicut & alter Thomas à IESV in Cap. Non dicatis, Parte 5. Cap. 1. vbi multa de Mendicantium dignitate. Ex quo argui efficaciter potest: nam si merita Mendicantium talia sunt, & propter illa communicationis sunt priuilegio donati, quod nullam limitationem importat; videtur non obscure deduci, hoc, de quo loquimur, in illis conuenire. Aut enim

Dilemma concludens.

Fit satis obiectus.

Innocentij 8. verba.

magnum est, aut non magnum. Si primum: non est æquum eo priuari, qui magna pro Ecclesiâ moliuntur, & dum faciunt & docent magni sunt in regno cælorum. Si secundum: non est cur debeat, vbi maiora alia conceduntur, denegari. Licet ergo Abbates speciali aliqua sint præditi qualitate, quæ Mendicantes carent; id non debet obstare, quando concessionis motuum ea qualitas non est, sed commune aliud meritum, vt in præfenti contingit, & ex tenore ipsius concessionis constat, viderique potest in citatâ Innocentij VIII. quæ sic incipit: *Expositæ tuæ deuotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, &c.* Per quod patet ad rationem adductam pro contraria positione. Ad id autem, quod ex concessione R. P. Generali Laynio factâ obiciebatur, responderi potest concedentem potuisse ea cum limitatione concedere, quia ita conueniens iudicauit, de priuilegijs alijs nihil cogitans, per quod illis nihil incommodatum: & P. Generalem eâ concessione securiorem vsum voluisse: quamuis dubitari nequeat sine illa licuisse, quod concessione præfata continetur, vt constat ex allatis in Compendio. Quod verò significetur id ad Episcopos tantum pertinere, verum quidem est de iure loquendo, non ex priuilegio, de cuius nequit concessione vllatenus dubitari.

258 Dico secundo. Ex concessione circa Aras, aut fixa Altaria, satis verosimiliter deduci potest licere etiam Calicum, Patenarum, & aliorum huiusmodi consecrationem, sicut è conuerso: vnde concessiones aliquæ ex adductis, quæ circa hoc videntur diminutæ, generales possunt reputari. Et quod ad concessionem pro Calicibus spectat, etiam pro Aris esse accipiendum tenet Tamburinus supra, Quæst. 5. num. 3. & Quæst. 13. num. 3. quem sequitur Hieronymus Garcia supra, arguendo de maiori ad minus: maius enim videtur posse Calicem consecrare, in quo Christi Sanguis, & etiam Corpus, cum sit commixtio, immediatè, licet comitanter alias, continetur, quam consecrare Aram, in quâ immediatus contactus non interuenit. Quando autem licet maius aliquid, etiam & minus licet, si in eodem genere sunt, per vulgarem regulam juris in sexto. Sed certè pro opposito argui etiam potest: nam consecratio Aræ maius quid esse videtur, vt ex multitudine eorum constat, quæ pro illâ adhibentur: neque enim in ipsâ tantum contactus attenditur, sed mystica etiam ratio, eò quod Christum significet, vt in eadem consecratione habetur. Hinc est vt Corporalium benedictio, in quibus immediatus contactus est, Prælati omnibus sine difficultate concedatur;

Inutiles pro mortuis.

Priuilegiū ob Episcoporum statum.

Aras aut Calices consecratio, maius quid sit.

cedatur. Et ita quod ad Calicem attinet non esset difficile, si contactus tantum attenderet: ciborum enim, in quo hostiæ consecrata afferuntur, etiamsi immediatè eas tangat, benedici à Prælati potest: quia verò Romæ consecrari sacra vntione solet, eadem pro eo, quæ pro Calice, respectu eorum, qui Episcopi non sunt, difficultas reperitur. Est ergo Aræ consecratio aliunde valde sublimis, dum sacra in illa adhibetur vntio, illius instar quæ à Patriarcha Iacobi adhibita, cum erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper; de quo Genes. 28. vers. 18.

Afferio 3. Circa priuilegium Indicum. Vbi quando Episcopi dicuntur non adesse.

259 Dico tertio. De priuilegio Indico Societati concessio loquendo, ad illius vsum non est necessarium, quod in partibus remotissimis Episcopi non sint habitualiter, id est, quod pro locis talibus non sint assignati, & numquam ad ea perueniant, quod videtur significari dum dicitur *In quibus Catholici Episcopi non sunt.* Sed sufficit reipia ibi non esse, sicut in priuilegijs tenore habetur, verbis illis: *Si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit.* Censetur autem non adesse, si Sedes vacet, iuxta id, quod habet Fr. Emmanuel Quæstione 19. usat à Aris. 3. & Fr. Ioannes Baptista ex eodem. Item. Si Sede plena, quia iam est confirmatus, aut etiam consecratus Episcopus, nondum tamen in Prouinciam venit: vel, si venit, longè abest, nec breui speratur adfuturus. Neque enim quod dicitur. *Non adsit ibi*, omnino materialiter est accipiendum de loco, in quo est consecratio faciendâ: adesse enim dicitur statim rediturus, qui & non putatur recessisse, iuxta vulgaram iuris regulam: vnde & statim venturus, etiamsi à loco numquam recesserit, quia numquam ad eum peruenit. Quod ergo dicitur *Ibi*, non est ad locum referendum, sed ad partes in concessione designatas, loca scilicet remotissima. Si ergo ibi, in locis inquam talibus, Episcopus non adsit, priuilegio locus est, iuxta datam explicationem. Quod si adsit, nec velit, aut nequeat, censendum non adesse: inutiles enim pro mortuo habetur, per Textus, & Doctores, quos adducit P. Thomas Sanctius Lib. 4. Considerationum, Cap. 2. Dub. 13. num. 1. Ex quâ consideratione concessum est priuilegium à Sixto, & Eugenio, vtroque Quarto, de quo Ioannes de la Cruz Dub. 9. Conclus. 3. vt si Diocesanus ter requisitus pro consecratione Ecclesiarum, & Altarium, venire renuerit, à Religiosis possint Episcopi alij aduocari. Et per priuilegium Societati concessum à Paulo Tertio in Bulla, quæ incipit, *Licet debuitur*, si vltra quatuor menses id facere distulerim. Verè enim acti in mundo non sint, cum se ita gerant, reputantur. Vnde & similiter est, in casu, de quo loquimur, æstimandum.

Inutiles pro mortuis.

Priuilegiū ob Episcoporum statum.

Afferio 4. Etiam non propria posse benedici, seu externorū.

260 Dico quarto. Quæ benedicti à Prælati, aut ab iis, quibus ipsi concesserint, possunt, non est ad ea tantum, quæ pro eorum sunt vtu, coarctandum: nam & pro externis esse locus priuilegio potest. Sic constat ex Bulla Innocentij citata, & ex alijs, iuxta quas in Compendio Societatis ita recognoscitur, & additur moderatio, videlicet: *si necessitas urgeat, & Prælati distent, & sine eorum offensione.* Vbi necessitas latè accipienda est, vt quauis sufficiat, talis prudenter iudicata. Et cum talis est, etsi Prælati adsint, ni-

hil obstat, si credatur non facillè suam ad id operam præstiturus. Offensio autem facillè vitatur, quia illi circa hoc non multum solent esse solliciti, quibus labor & radium excusatur: quod de ornamentis & vestibus sacris præsertim intelligendum. In Indijs autem id facillius, quia in s. *Benedictionis*, nulla huiusmodi limitatio circa prædicta proponitur, sed quæ additur de graui necessitate, & causâ magni momenti, ad ea, quæ vntionem exigunt, videntur referenda; pro alijs enim non erat cur maior obligatio in Indijs, circa quas indulgentiores solent esse Pontifices, quam pro alijs, poneretur.

De Benedictione Ecclesiarum, Cæmeteriorum, Oratoriorum, aliorumque,

261 IN Compendio Indico, vt vidimus, num. 252. Ecclesiarum, & Oratoriorum mentio nulla, sed tantum Cæmeteriorum, quia in Bulla Pauli Tertij sæpius citatâ illorum tantum mentio videtur haberi, vnde pro alijs remissio fit ad communes concessiones. Sed certè concessio Pontificia ad Ecclesias est etiam referenda, de quibus ibidem sermo, dum sic dicitur: *Ac in locis prædictis remotissimis Ecclesias, hospitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac tunc & pro tempore erecta reformare, sine alicuius præiudicio, & vestes Sacerdotales, Pallas, Corporalia, Calices, Altaria, Cæmeteria, (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus, inibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare possint.* Sic ille. Quia ergo de Ecclesijs locutus fuerat, postea Cæmeteria tantum addidit: neque Oratoria addi necessarium fuit: si enim Ecclesiæ benedici possunt, de Oratorijs esse dubium nequit, cum id multò minus sit. Nec dici potest de erectione quidem Ecclesiarum actum, sed non de earum benedictione: nam cum pro vtu erigantur, & ad hunc benedici debeant, & ibi Episcopus non adsit, manifestum est benedictionem erectionis indulto & nomine comprehensam. De Cæmeterijs autem specialis mentio subiuncta, quia non semper solent benedici, & quia non dicuntur erigi, sicut Ecclesiæ. Præterquam quod, cum Cæmeterium accessorium quiddam sit respectu Ecclesiæ, dum illius benedictio conceditur, ea, quæ ad Ecclesiam spectat, videtur præsupponi.

262 Hinc est, vt quod de expectatione per quatuor menses ab eodem Pontifice dicitur, de quo num. 259. ad Indias non sit referendum, quia diuersa est dispositio, & circa diuersa versatur; vt ex contextu liquet. Quod item habetur in Compendio communi verb. *Ecclesia*. §. 2. in hunc modum: *Possumt omnes Præpositi, & Rectores, etiam aquâ per eos benedictâ, præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedictam per duos dies adire non possunt, liberè & licitè reconciliare nostras Ecclesias, Cæmeteria, & Oratoria, & eorum quodlibet, sanguinis, seu seminis effusione, aut alijs quomodolibet pollutas, seu polluta, quous opus fuerit. Concessit Leo X. præfatis Minoribus, &c.* Hoc inquam pro Indijs necessarium non est, sed Superiores omnes aquâ à se benedictâ id præstare possunt, etiamsi Episcopi adsint, quia in prædicta Paulij Tertij concessione conditio illa de absentia

Priuilegiū Pauli 3. circa benedictionem Ecclesiarum, &c.

In Indijs non est necessaria quatuor mensium expectatio, remouentibus Prælati. Et alia iuxta communes concessiones.

Compendiū Societatis.